

a somnio discernere licet. 1° In somnio non omnes facultates cognoscitivæ operantur, sed potissimum *phantasia*, cujuscum actus sit vehementior æquo, cæterarum actibus facultatum impedimento est, dum in vigiliâ singulæ facultates cognoscitivæ agunt *simul* ac sese mutuò adjuvant. — 2° In somnio, nulla attentionis et conscientiæ reflexio exercetur, mensque, ut ita dicam, potius *agitur* quàm *agit*; at vigilantes plenâ conscientiæ ac reflexionis luce fruuntur, attendunt quid faciant, et liberè illud vel istud volunt. — 3° Hinc fit ut in somniis omnia permisceantur nulloque nexu, nullâ lege sibi succedant variæ animi affectiones, et cuncta vel necessitati, vel fortunæ subjacere videantur. At contrâ, ubi vigilamus, quem volumus ordinem, inter nostras cogitationes institui-mus, aliæ aliis ratâ lege succedunt, conferuntur inter se, colligantur, moderantur (1).

Jam 2^a *objectio* falsum supponit. Ut enim homo nunquam erret nec errare possit, oportet quidem sit infallibilis; ut autem certitudinem aliquando assequi valeat (quæ thesis est dogmaticorum), satis est habeat rationem, etiam debilem, ad verum tamen per se ordinatam.

Objectio 4^a vult populos ac philosophos ipsos inter se dissentire; *dist.*; quoad quædam, *conc.*; quoad omnia, *neg.* Sanè populi et philosophi de multis necnon gravissimi momenti veritatibus consentiunt; v. g. de existentiâ Dei et cultu ei ab hominibus debito; de existentiâ, spiritualitate, libertate, immortalitate animi nostri; de distantiâ inter bonum et malum. Ergo si volunt sceptici ea esse incerta de quibus discordant homines, illa de quibus conveniunt pro certis habeant oportet.

Cæterùm, multa etiam certa sunt, quamvis de iis dubitent quidam philosophi, nec quidquid a nonnullis rejicitur, rejiciendum quoque est; quia non desunt homines qui dubitant de rebus aliunde certis, sed vel libidine disputationis acti, vel passionibus moti, vel cupidi novitatis et famæ, vel non satis eruditi circa ea de quibus præfractè pronun-

(1) Cf. S. Thomas, in IV *Metaphysicor.*, lect. 14; Balmès, *Philos. fondam.*, t. I, l. II, c. 3.

tiant. Quapropter non habent cur moveant eorum dubia vel querelæ.

§ II. — De scepticismo universali temperato, sive academico.

451. Scepticismus academicus in eo a scepticismo universali rigido differt, quòd admittit hominem parem esse ad *probabilitatem* obtinendam; admittit enim alia esse probabilia, alia aliis verisimiliora, et inter agendum id teneri oportere quod probabile videatur. Hoc scepticismi genus viguit in Academiâ novâ et tertiâ, ducibus Arcesilao, Carneade et Cicerone (1).

452. PROP. : *Scepticismus academicus sibi contradicit et impossibilis est.*

PROB. 1^a PARS. — Sceptici academici docent secum pugnantia, nimirum, ex unâ parte, nihil certò sciri, nec sciri posse, sed tantùm probabiliter; et, ex alterâ parte, 1° quædam esse certò probabilia, vel etiam probabiliora; 2° ab homine haberi certas regulas, quarum ope quid probabile sit, quid non, discernere queat; 3° insuper probabilitas ipsa supponit certitudinem; nam aliquid dicitur probabile, quatenus vero simile est.

PROB. 2^a PARS. — Natura et evidentiae ipsa vis cogit nos quædam habere pro certis omnino, de quibus ne vel minimè dubitare sinit, ipso monente Tullio jam laudato: « Ut enim « necesse est lancem in librâ, ponderibus impositis, deprimi, « sic animum perspicuis cedere. »

ARTICULUS II

De scepticismo objectivo (2).

453. Scepticismus objectivus docet hominem gaudere quidem certitudine quoad *phænomena* mentis interna, sed in

(1) Cf. *Histoire de la Philos.*, 1^{re} part., ch. 3, n. 2.

(2) Cf. *Histoire de la Philos.*, 3^e part., ch. 2, n. 4; *Le Kantisme et le Positivisme*, ch. 4, n. 6.

absolutâ dubitatione constitui circa *res extra* nos positas.

Triplex est forma hujus systematis : Kantius denegat vim objectivam veritatibus ordinis *speculativi*, sed eam veritatibus ordinis *practici* concedit; Jouffroy utrasque nobis æque inaccessas esse vult; alii demum profitentur omnem cognitionem essentialiter *relativam* esse, ac veritatem ab homine ipso *effici*.

§ I. — Expositio triplicis hujus systematis.

154. *Kantiana opinio exponitur in Criticâ rationis puræ, et in Criticâ rationis practicæ.* Idcirco vocatur etiam *Criticismus*, quia nititur in criticâ facultatum hominis cognoscitivarum. — En summam systematis : Cognitio humana explicanda est *a priori*, ex naturâ ipsâ subjecti cogitantis. Porrò duplex hominis ratio distinguitur, scilicet ratio *theoretica*, quæ veritates speculativas, et ratio *practica*, quæ veritates practicas sive morales complectitur. Prior respondet quæstioni *quid sit credendum*; posterior quæstioni *quid sit agendum*.

I. Ratio theoretica nobis certitudinem largitur de phænomenis mentis *internis*, at nullo modo de rebus *extra* mentem positis; nobis quidem dicit quid nobis *videatur* de rebus, non autem quid *sint* in seipsis. Enimvero ideæ nostræ non accipiuntur a rebus, sed sunt duntaxat subjectivæ innatæque intellectûs nostri *formæ*, ex quibus de rebus pronuntiamus, et quas rebus ipsis, tanquam materiæ applicamus, ut earum habeamus notitiam. — Istæ insuper formæ, quum omnino pendeant a constitutione ipsius animi, qui aliter constitui potuisset, nihil *absolutum* manifestant, aliudque nobis manifestarent, si alia poneretur animi nostri constitutio.

II. At ratio *practica* nobis præstat certitudinem *objectivam*, quia sua cuique conscientia imponit obligationem moralem velut *imperativum* quoddam *absolutum*, proinde pollens veritate objectivâ. Porrò existentia legis moralis tria supponit, nempe 1° hominem esse liberum; alioquin obligationi non subjaceret; 2° mereri vel demereri, prout officio satisfacit vel non; 3° existere alteram vitam, in quâ Deus bonos mer-

cede, malos autem debitis pœnis prosequatur; quia in hac vitâ nec virtuti merces nec vitio pœna pro meritis tribuitur.

Illa tamen rationis practicæ dogmata, etsi objectivè certa, objectum sunt *fidei*, non *scientiæ*; nam legitimè quidem admittuntur, sed non ratione intelliguntur, cum ratio nihil apprehendat nisi *phænomena*. — Quinimo veritates ipsæ morales *absolutâ* et *universali* certitudine non pollent; nam et obscuritate altâ laborant, et ad eas admittendas potiùs *voluntas* cogit quàm *intellectus*.

155. *En summam systematis propugnati a Jouffroy*: Hominis ratio certitudinem confert quoad phænomena mentis interna; siquidem de iis ita nos evidenter admonet conscientia, ut ejus testimonium nullo pacto detrectari possit. — At verò minimè constare potest utrum id quod nobis *videtur de rebus, sit reipsa et objectivè* uti nobis videtur; res enim extra nos sunt positæ, nec datur connexio necessaria inter subjectivum et objectivum ordinem; ac proinde transitus a subjecto ad objectum nobis constare nequit et dubitandum est de veritate objectivâ veritatis, sive speculativæ, sive practicæ.

156. *Fautores relativitatis* cognitionis dicunt nihil esse in se verum, quoniam cognitio ac proinde veritas non est nisi fœtus humani ingenii. Homo, ait Renan, *facit* veritatem rerum quibus credit, et bonitatem rerum quas amat. Porrò eodem jure *singuli* homines veritatem ad mensuram suam faciant, prout fert cujusque ingenium vel indoles. Propterea id cuique verum est quod ipse verum habet, et variæ sunt veritates pro variâ diversorum hominum opinione. — Hanc sententiam quam primus excogitavit Protagoras, explicitè, nostris diebus, tuentur quidam post Renan et Scherer: plures autem implicitè cum quibusdam differentiis, ita ut haberi possit pro notâ propriâ cogitationis, ut aiunt, recentis.

§ II. — Refutatio scepticismi objectivi.

157. *Assertio 1^a*: *Falsus est scepticismus objectivus temperatus, ad mentem Kantii.*

1° *Falso innititur fundamento*, scilicet in amplificatione distinctionis quæ viget inter rationem theoreticam et rationem practicam, et in prioris imbecillitate. Nam ratio theoretica et ratio practica non sunt nisi duo munera unius ejusdemque potentiæ, et ideo utrique eadem inest vis, vel imbecillitas. — Ex aliâ parte, rationi theoreticæ vim denegat Kantius, quia ideæ nostræ non a rebus oriuntur, sed a nostro solum intellectu qui potuisset ipse aliter constitui, et proinde aliter de rebus judicare. Porrò assertiones istæ falsitate laborant: prior quidem refelletur in Ideologiâ, ubi de origine idearum; posterioris autem falsitas ex eo colligitur quòd potuisset quidem constitui intellectus alius, intellectu nostro perfectior vel imperfectior, non autem illi oppositus. Ut enim ratio humana non opponitur sensibus, nec sibi invicem varii sensus opponuntur, ita nec ille intellectus forte sublimior quem inducit Kantius, intellectui humano adversaretur. Quare si ratio nostra fuisset aliter constituta, perfectius capere quæ intelligit potuisset, aut etiam nova adinvenire, non autem opposita. Veritas quippe veritati, aut realitas realitati adversari nequit.

Eodem modo refelleretur objectio Mennesii dicentis evendendam fore omnem humanam certitudinem si novus sensus homini contingeret. Adderet sensus ille novas cognitiones, non autem contrarias, quemadmodum quinque sensus externi diversa, non autem opposita referunt.

Quod verò spectat ad vim rationi *practicæ* concessam, argumentum quod sumit Kantius ex obligatione morali nihil confert in gratiam ejus systematis. Nam quantumvis absolutè obligationem moralem nobis imperet conscientia, tamen *imperativum* istud a *nostrâ* oritur conscientia, a *nostrâ* mente unicè pendet, ac proinde totum stat in ordine subjectivo.

2° *Secum pugnat*. — Admittit enim rationem practicam et rejicit theoreticam; sed ratio practica theoreticam præsupponit ac sequitur, in quâ suum habet fundamentum. Nulla enim Ethica statui potest abstrahendo ab ideâ Dei, a naturâ, origine et fine hominis, quæ tamen quæstiones ad rationem theoreticam propriè pertinent. — Kantius quidem contradictionem istam vitare conatur, cum voluntatem declarat *auto-*

nomam; at voluntas autonoma fingi haud valet, cum a ratione tota pendeat.

3° *Logicè inducit scepticismum objectivum universalem, imo ruinam omnis certitudinis*. Constat 1^{um}, quia quæcumque dicit contra rationem theoreticam, eodem jure possunt dici contra rationem practicam; quippe cum utraque sit æquè humana, et ex Kantii principiis, æquè *relativa*. — Constat 2^{um}, quia Kantius centies declarat sola *phænomena* cognosci a nobis, ignorari autem *substantias* et *causas*. Sed hoc posito, cognitio humana in perpetuo fluxu, ut ipsa *phænomena*, versetur oportet.

158. *Assertio 2^a: Falsus est scepticismus objectivus universalis, ad mentem Theodori Jouffroy.*

1° *Falso innititur fundamento*. — Nam in duplici assertione fundatur, scilicet: 1. in dubitatione in quâ unusquisque nostrum versatur circa veritatem objectivam conceptionum suæ mentis; et 2. in impossibilitate transitus a subjecto ad objectum. Porrò hæc duo falsa sunt. Nam minimè dubitamus de veritate objectivâ nostrarum idearum; imò verò quantumvis contendamus, dubitare nobis non licet de mundi hujus adspectabilis, aut veritatum primitivarum objectivâ veritate.

Falsum quoque est impossibilem esse transitum a subjecto ad objectum, ab intellectu ad res: ut enim fusiùs in anthropologiâ exponetur, certum commercium viget inter *res* et *subjectum* cognoscens; quippe res immediatè in nos agunt, et ideas nostras ex rerum ipsarum observatione, abstractione adjunctâ, colligimus.

Et sanè quidem legitimitatem rationis nostræ non propriè *demonstramus*, ut vellet Jouffroy; sed hæc demonstratio minimè necessaria est, siquidem, ex dictis supra, homo facultatibus suis, ut par est, utens, veritatem certe attingere intemè sibi conscius est.

2° *Secum pugnat*. — Nam admittit existentiam certitudinis subjectivæ, et rejicit omnem certitudinem objectivam. Porrò primum cum secundo stare nequit. Si enim nihil est objectivè certum, nec ipsum principium contradictionis habet vim objectivam. Sed illud principium est *fundamen-*

tum omnis affirmationis omnisque certitudinis; nam eo in dubium revocato, eadem res, et proinde ipsa certitudo subjectiva, potest esse simul et non esse.

3° *Logicè inducit scepticismum universalem.* — Enimvero certitudo subjectiva, quam solam admittit scepticismus objectivus, importat identitatem subjecti cogitantis et reflexionem ejus in seipsum. Sed hæc duo stare non valent, negatâ omni certitudine objectivâ.

1. Ope memoriæ simul et conscientiæ, eundem me esse affirmo qui eram *heri et olim*. At negatâ relatione inter *ideam* et *objectum* ejus, neganda est subjecti cogitantis identitas; quia momento præsentis existentia mea hesternâ præterit, præterierunt actus quos heri exercui, nec mihi præsens est nisi actus ille quem nunc elicio. Unde τὸ ego præteritum exhibet aliquid *externum* et proin *objectivum* relativè ad τὸ ego præsens; et cum systema de quo nunc nihil objectivi admittat, nihil admittere potest præter τὸ ego præsens.

2. Imò verò, ne ipsa quidem reflexio subjecti cogitantis *præsentis* in seipsum explicari jam potest. Nam in reflexione, subjectum cogitans redit in suos actus vel in seipsum, atque ita sese constituit veluti *terminum* suæ considerationis. Sed hæc dualitatem quamdam in ipsum subjectum inducunt, et anima *considerata* præ se fert aliquid *objectivum* relativè ad animam *considerantem*. At systema omnem prorsus objectivitatem negat, ac proin impossibilem reddit reflexionem mentis in seipsam.

3. Præterea, tam *evidenter* res extra nos positâs quàm nosmetipsos percipimus; tam *necessario* affirmamus existentiam objectivi quàm subjectivi ordinis; unde vel objectiva haud secus ac subjectiva certitudo admittenda est, vel neganda est utraque et scepticismus universalis causam habet.

159. Assertio 3^a : *Falsum est commentum relativismi* (1).

1° *Falso innititur fundamento*; non enim, ut volunt relativistæ, veritas aut cognitio habenda est ut fabricatio quædam subjectiva rationis, *formas* suas rebus imponentis, sed

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 4, *L'absolu*.

contra ratio nostra se habet ad *res* seu ad veritatem sicut id quod movetur se habet ad objectum a quo movetur; quippe testis est conscientia *res* immediatè in sensus et mediatè in intellectum nostrum agere. Porrò, ut fusiùs explicabitur in Anthropologiâ, agendo in nos res in nobis imprimunt suam formam seu imaginem repræsentativam sui; ideoque mens nostra potiùs conformatur se rebus, quàm eas ad suam trahit imaginem.

Et sanè quidem, veritas seu res cognita recipitur in cognoscente, et proinde apprehenditur ab ipso juxta ipsius capacitatem, scilicet perfectiùs vel minùs perfectè, juxta cognoscentis acumen. In eo *latiori* ac *secundario* sensu veritas dici potest *relativa*, quatenus variè seu inæqualiter varii homines eam assequuntur, sed ex eo minimè sequitur veritatem fieri propriè relativam seu induere formam subjecti, cum econtrâ subjectum objecti formam aut similitudinem induat (1).

2° *Adversatur testimonio conscientiæ*; quippe quòd conscii sumus posse nos voluntate libere amplecti quæ nobis magis placent, at realitatem seu naturam rerum a nobis nequaquam pendere, imò etiam esse multas veritates, v. g. principia mathematica, metaphysica et moralia, quæ apud omnes homines æquè constant, iisque imperativè se imponunt, quin nobis de illis aliter sentire liceat. Hinc est quòd naturam ipsam attentè interrogamus, facta externa observamus, conditiones eorum consideramus, scrutamur leges; cùmque videmus ratiocinationes nostras cum rebus ipsis convenire, gaudemus; si autem systemata nostra cum rebus haud quadrent, ea corrigimus, donec aptent se demum externæ veritati, quam sponte pro *normâ* rationis nostræ habemus, nedum credamus rationem nostram esse mensuram rerum.

(1) « Illud quod est in aliquo, ait D. Thomas, non sequitur illud in quo est, nisi quando causatur ex principiis ejus; unde lux quæ causatur in aere ab extrinseco, scilicet ex sole, sequitur motum solis magis quam aerem; similiter veritas quæ in animâ causatur a rebus, non sequitur existimationem animæ, sed existentiam rerum; ex eo enim quòd res est, vel non est, oratio vera, vel falsa dicitur. » (*Qq. Disp. de Ver. q. 1, a. 2, ad 3*).

3° *Inducit scepticismum universalem*; siquidem fautores hujus systematis, ex unâ parte, objectum cognitum omninò subjiciunt subjecto cognoscenti; et, ex alterâ parte, mobilitatem indefinitam rationis propugnant, variasque variorum hominum opiniones, quantumvis contradictorias, pro legitimis indifferenter habent. Unde, si ipsis fides, sunt homines certi, sed nulla existit certitudo (1).

(1) « Il n'y a pas de certitude, il n'y a que des gens certains. » (Renouvier). — « Il est un principe qui s'est emparé avec force de l'esprit moderne et que nous devons à Hégel. Je veux parler du principe en vertu duquel une assertion n'est pas plus vraie que l'assertion opposée. » « Nous ne connaissons plus la religion, mais des religions; la moralité, mais des mœurs. » (Schérer).

LOGICÆ PARS ALTERA

SIVE

DIALECTICA

159. *Objectum Dialecticæ.* 1° Logica, ut initio monuimus, tradit modum veritatis inveniendæ ac demonstrandæ, præbetque methodum, in eâ cum inveniendâ, tum demonstrandâ servandam.

Jam in *Criteriologiâ* declaravimus quomodo quibusve instrumentis veritas ab homine *inveniatur*. Declarandum nunc incumbit quomodo veritas possit *demonstrari*, et quænam sint demonstrationis leges. En hæc est præsentis disputationis materia, quam *præcipuam* Logicæ partem faciunt philosophi; quippe quòd homo, in investigatione veri, ratiocinatione potissimum utatur. Quamobrem nonnulli Logicam definiunt artem *disserendi*, vel *scientiam ratiocinationis*.

Hinc etiam est cur ista Logicæ pars a veteribus simpliciter Logica vocaretur, quòd in eâ sese continebat Aristotelis Logica, quæ cæteroquin pertractabatur quàm copiosissimè. A recentibus autem *Dialectica* (1) nuncupatur, traditque theoriam ac leges ratiocinationis.

160. *Divisio Dialecticæ.* Porrò ratiocinatio ex judiciis conflatur, judicia autem ex ideis. Vel enim anima aliquid unum simpliciter apprehendit, et *ideam* sive notionem ejus sibi repræsentat; vel duas notiones inter se confert, ut earum aut convenientiam aut discrepantiam percipiat, et suo *judicio* affirmat; vel demum, si duarum notionum convenientiam

(1) Dialectica, græcâ voce *διαλεγομαι*, dissero, apud Aristotelem non extenditur nisi ad artem inveniendi argumenta *probabilia*.

discrepantiamve non statim deprehendit, eas cum tertiâ notatione magis notâ componit, ut illius ope inferre possit an inter se conveniant necne; tunc obtinet ratiocinium.

Hæ sunt tres *præcipuæ* rationis humanæ operationes, ad (1) quas cæteræ, utpote merè *subsidiariæ*, facilè revocari queunt, nam *attentio*, *reflexio*, *comparatio*, *abstractio* et *generalisatio* conspirant totæ ad præparandum vel clariùs explanandum ideas, judicia et ratiocinia (2).

2° Itaque Dialectica disputandum habet 1° de ideis, 2° de judiciis, et 3° de ratiocinio. Prima enim mentis operatio eademque simplicissima est idea sive apprehensio; secunda autem, jam minùs simplex, est iudicium; et tertia maximè complexa, ratiocinium. Cæterùm, idea refertur ad iudicium, iudicium autem ad ratiocinium, quo tandem *terminatur* inquisitionis processus et elicitur demonstratio.

CAPUT I

DE IDEIS, SEU DE SIMPLICI APPREHENSIONE

161. Idea spectari potest vel prout in mente existit, vel prout vocabulis exprimitur; hinc disserendum est 1° de ideis in se consideratis; 2° de terminis; 3° de definitione, et 4° de

(1) Cf. S. Thom., *in lib. I Periherm.*, lect. 1^a; Bossuet, *Log.*, l. I, c. iv.

(2) Attentio est applicatio mentis ad aliquam rem vel ideam inspicendam; reflexio est actus mentis considerantis suas operationes, v. g. suas ideas, suave iudicia aut ratiocinia, ut ea vel exactæ subiciat analysi, vel meliùs dirigat; comparatio est actus quo inter se conferuntur plures res vel ideæ, ut videatur quid simile, quid dissimile habeant; abstractio est actus quo in aliquâ re vel ideâ consideratur una proprietas, neglectis impræsentiarum aliis; generalisatio demum, est actus quo proprietas aliqua, in quibusdam entibus observata, redditur universalis seu habetur ut communis omnibus entibus ejusdem speciei.

divisione, quæ sunt *media* quibus licet ideas ac terminos præcisâ ratione declarare.

ARTICULUS I

De ideis in se consideratis.

162. Ideæ *trifariâ*m inspici queunt, nam 1° quærere licet naturam objecti quod repræsentant, ut fit in Ontologiâ; 2° originem earum seu modum quo eas adquirimus, ut fit in Ideologiâ; 3° earum numerum, subordinationem, variam aliarum ad alias relationem, quomodo aliæ ad alias revocentur, aliæ sub aliis contineantur, aliæ de aliis prædicentur; hoc autem fit in Logicâ.

Isto modo aspectæ ideæ vocantur *intentiones* sive notiones *secundæ*; dicuntur autem intentiones *primæ*, prout ab Ontologiâ traduntur. Ratio est, quia Logica iis studet, prout sunt mentis conceptus, Ontologia verò, prout sunt in seipsis objecta quæ repræsentant. Porro forma quam habent res in seipsis, priùs et principaliter eis convenit; forma autem quam in mente nostrâ recipiunt, nonnisi posterius et secundariò, in quantum ope reflexionis eas disponimus in diversos modos sive subjecti et prædicati, sive generis, speciei aut differentiæ.

Circa ideas logicè consideratas quinque sunt exponenda: 1° Harum natura; 2° comprehensio et extensio; 3° variæ species; 4° reductio ad universalissimas ac supremas; 5° generum ac specierum partitio.

§ I. — De ideæ naturâ.

163. Idea (1), quoad *nomen* inspecta, oritur ex græcâ voce εἶδος quæ idem sibi vult ac *imago*, *visio*. Vocatur adhuc *notio*, *apprehensio*, *conceptus*, quæ voces ideæ naturam et opus mentis clarè indicant.

(1) Apud S. Thomam et veteres, idea propriè usurpatur ad significandum exemplar in mente existens, juxta quod artifex operatur.